EUSEBIUS CAESARIENSIS
Österreich, 2. Hälfte 12. Jh.
Seite 28r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift



cendisset herodes. et in die sollempni preclara ueste regia indutus. pro tribunali consedisset. ac de sublimi concionaretur ad populum. cumque populus acclamaret ei. dei uoces et non hominis. statim inquit percussit eum angelus dei. eo quod non dedit gloriam deo. et scatens uermibus expirauit. Miraculo autem dignum est. tantam consonantiam diuinarum scripturarum. cum hystoriographis gentis illius deprehendi. Ipse et enim iosephus de eisdem commemorans octauo libro antiquitatum. his quibus infra scriptum est hec sermonibus refert. Tertium inquit annum imperii iudee tocius expleuerat. cum forte cesaream que prius pyrgo stratonis uocabatur aduenit. Ubi cum in honorem cesaris spectacula ciuibus ederet. uotiuo ut uidebatur salutis cesaris die. cumque illuc tocius prouincie uiri. honore et facultatibus preditis conuenissent. secundo spectaculorum die. indutus ueste fulgenti. ex auro argentoque mirabiliter contexta. incipiente die procedit ad theatrum. Ubi cum primos solis radios argentee uestis gremio suscepisset. repercusso splendore. duplicatam spectantibus lucem. fulgor metalli uibrantis effudit. ut intuentibus perstringeret aciem. terror aspectus. et per hoc plus aliquid de eo. quam humane nature est artifex arrogantia mentiretur. ilico adulantis uulgi concrepant uoces. honorem sonantes. sed exitium conferentes. et hinc atque hinc. caueis conclamantibus deus compellatur. utque fieret propicius. supplicitur exoratur. dicentibus populis. Quod nunc usque ut hominem te timuimus. sed ex hoc iam super humanam te esse naturam fatemur. Sed rex ad clamationem contra fas habitam non repressit. nec impietatem in licite adulationis exorruit. donec respiciens paulo post imminentem atque insistentem capiti suo uidet angelum. eumque sensit continuo exicii sui ministrum. quem prius nouerat prouisorem